



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. VII. Expediuntur reliqua, quæ ad absolutionem a Censuris spectant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

cere, In primis absolvo te a vinculo excommunicationis, quam incurristi ob furtum, verbi gratia, mihi dictum; & deinde prosequatur, & ab omni alio vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti.

ARTICULUS VII.

Expediuntur reliqua, quæ ad Absolutionem a Censuris spectant.

- I. Num remaneat a Censuris absolutus, qui reticet in Confessione Sacramentali peccatum, cui censura est annexa?
 - II. Si pramittenda erat satisfactio pariter, ea non pramissa, non est absolutus a censuris, quamvis ex oblivione peccatum illud omiserit.
 - III. Potest Episcopus pro foro conscientie absolvere a casibus Papalibus occultis. Num etiam ab occultis reservatis in Bulla Cœna? Num Episcopus, & Mendicantes Privilegium absolvere possint a sex illis casibus Clem. VIII., si sint occultis?
 - IV. Quodnam delictum dicitur occultum; quodnam vero publicum? Quid si delictum in uno loco sit occultum, & in altero publicum?
 - V. Impeditus adire Pontificem pro absolutione a casu Papali absolvi potest ab Episcopo. An possit etiam a confessario absolvi, si sit impeditus etiam adire pro absolutione Episcopum? Certe non potest a simplici Sacerdote absolvi directe; si neque Papam, neque Episcopum, neque Confessarium adire potest.
 - VI. Solum de licentia sui Superioris potest ab Episcopo absolvi Religiosus impeditus adire Pontificem.
 - VII. Prælati regulares possunt suos subditos absolvere ab occultis Papalibus, prout possunt Episcopi. Et ab excommunicatione contracta ob percussione Clerici etiam enormem.
- Pars VIII.

VIII. Qui impedimento temporali laborans, ne possint Pontificem adire, ab Episcopo absolvi possunt, sed cum onere adeundi Papam cessante impedimento.

IX. Quinam dicantur habere perpetuum impedimentum adeundi Pontificem; quinam vero temporale? Quinam possit absolvi cum onere per hoc precise, quod aliter carere diu deberet gratia sacramentalis?

I. **Q**Uæritur primo; Utrum pœnitens remaneat absolutus a censuris, a quibus confessarius potest absolvere, quando voluntarie reticet in confessione peccatum, cui scit annexam esse censuram, & petit a confessario absolutionem ab omnibus censuris, si forte indigeat, & quam confessarius concedit?

Respondeo cum Suar. sect. 1., Filiuc. num. 291., Bonac. punct. 6. quod vel confessarius habet facultatem absolvendi ab illa censura tantum in ordine ad confessionem, ut accidit in jubilæis, vel extra Sacramentum; Si primum, invalida esset absolutio; quia in Sacramento Pœnitentiæ, per se loquendo, requiritur cognitio peccati, cui est annexa censura; ergo si voluntarie tale peccatum reticetur, absolutio tam a peccatis, quam a censura est nulla; Si secundum, valida esset absolutio, si Confessarius haberet intentionem absolvendi illum ab omnibus censuris, a quibus potest. Verum quia confessarius non præsumitur habere intentionem absolvendi illum ab omnibus censuris, a quibus potest, quando illas pœnitens sine justa causa reticet; quia præsumitur habere intentionem absolvendi, quantum licite potest, nec potest licite a tali censura non manifestata absolvere; ideo in tali casu pœnitens non remaneret absolutus ab illa censura; Sicut remaneret absolutus, si tantum ex oblivione

one, aut ex alia justa causa illam reciteret.

II. Hinc sequitur primo ex Bonac. loc. cit., Con., Avil., & aliis contra nonnullos, quod qui ex oblivione omisit aliquod peccatum, cui est annexa censura, a qua poterat quidem valide Confessarius absolvere, non tamen licite, nisi præmissa satisfactione partis; etiam si Confessarius dixerit, illum absolvere ob omnibus censuris, quantum potest, non proinde remaneat ab illa censura absolutus; quia non præsumitur, confessarium velle absolvere ab ea censura, a qua licite absolvere non poterat, satisfactione non præmissa.

Infertur secundo, quod pœnitens generaliter absolutus ab omnibus censuris, & peccatis oblitis ab habente potestatem in reservata, si deinde recordetur aliquod reservatum, cui sit annexa censura, teneatur quidem illud subicere clavibus, cum etiam jure divino requiratur integritas materialis confessionis; at poterit à quolibet Confessario absolvi, quia per priorem absolutionem sublata fuit censura, & reservatio. Ita Suar. disp. 7. quæst. 1., Leand. disp. 12. de Pœnit. quæst. 16., Lugo, Mendo.

III. Quæritur secundo; Quænam sint censuræ, a quibus Episcopi possunt absolvere?

Respondeo, Episcopos posse absolvere non solum a censuris a se latis, vel a Prædecessoribus; sed etiam ab omnibus censuris, & casibus papalibus, dummodo casus papales sint occulti, vel pœnitens sit legitime impeditus adire Pontificem, ut explicavimus in de Pœnitentia, cum de casibus reservatis; annotando, quod ex propositione 3. damnata ab Alex. VII. videatur inferri, non posse amplius ab Episcopis absolvi casus occultos in Bulla Cœnæ, ut fuscè diximus in Trutina eam thesīm exponendo. At pro-

babilius possunt Episcopi absolvere a casibus papalibus occultis reservatis post Trident., ut est duellum, &c., ut docet Suar. tom. 1. tract. 3. lib. 4. cap. 61., & alii apud Bonac. quæst. 3.; quia scilicet Trident. dat Episcopis indefinitam facultatem absolvendi a censuris papalibus occultis, nec limitat hanc facultatem solum ad censuras præteritas ante ipsum Trident. reservatas: Et consequenter docent, etiam Mendicantes posse a talibus censuris occultis absolvere, cum possint absolvere a casibus Episcopo a jure reservatis; Pariterque possunt, sicut Episcopi, ita etiam Mendicantes absolvere ab omnibus illis sex casibus Clem. VIII., si sint occulti, ut diximus pariter in Trutina loc. laud. Sunt autem sex isti casus Clementini, Violatio immunitatis Ecclesiasticæ, Violatio Clausuræ Monialium, Duellum, Percussio Clerici, Simonia realis, & Confidentia beneficalis; Ab his enim anno 1602. Clem. VIII. vetuit, ne Regulares intra Italiam extra Urbem degentes absolverent.

Advertendum tamen primo, quod Episcopus solum pro foro conscientie possit a casibus papalibus occultis absolvere, & in sua Diœcesi, aut ad summum proprium subditum extra Diœcesim existentem; ut ex Trident. docet Bonac. loc. cit., Sanch., Con.

IV. Adverte secundo ex Suar. disp. 30. de Pœnit. sect. 3. delictum dici occultum, quod non est publice diffamatum, seu quod non est notum majori parti vicinæ, vel communitatis: Quare Fagund. de Præceptis Ecclesiæ docet, delictum dici in jure occultum, etiam si a quinque sciatur, vel si ita est deductum ad forum contentiosum, ut Reus ab eo sit absolutus ob defectum probationis: Dici vero publicum, si a sex, & in magna multitudine Civitatis, si a pluribus, quam sex sciatur, vel si est deductum ad forum contentio-

tiosum, & saltem uno teste probatum, nec reus sit adhuc absolutus, aut totaliter punitus. Utrum autem delictum in uno loco occultum, in altero publicum, absolvi possit in eo loco, ubi est occultum? Afirmant Sanch., & Dian. contra Suar., saltem quando non est spes, quod delictum deferratur ad locum, ubi absolvitur.

Adverte tertio, quod eo modo, quo possunt ab his casibus Episcopi absolvi, potest pariter Vicarius Generalis, quia cum Episcopo unum Tribunal constat; Et universim quando Pontifex concedit aliquam facultatem Episcopo, & non vult illam Vicario communicare, id exprimitur, ut in Trident. sess. 24. cap. 6. Et quia possunt in dictis casibus Episcopi absolvere, ideo, ut diximus, possunt pariter Religiosi privilegiati habentes casus, quos jus reservat Episcopis, non vero quos Episcopi sibi reservant.

V. Quæritur tertio; Utrum ligatus censura reservata Papæ, si non possit adire nec Pontificem, nec Episcopum, possit a Confessario absolvi cum eodem onere comparandi apud Pontificem cessante impedimento?

Respondeo, probabiliter posse. Ita Hurt., Granad., Cœlestin., & alii apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 58., & part. 9. tract. 7. resol. 10. Ratio est, quia ideo in jure datur Episcopis facultas absolvendi cum onere impeditos adire Pontificem, ne isti careant remedio absolutionis; atqui si impediti adire Episcopum non possent pariter cum eodem onere a Confessario absolvi, etiam carerent remedio absolutionis; ergo probabiliter possunt in tali casu a Confessario absolvi.

Nec obstat, quod textus loquatur solum de impeditis adire Papam, non vero de impeditis adire Episcopum. Nam textus loquitur de casibus, qui sæpe accidunt; raro autem accidit im-

pedimentum adeundi Episcopum: Quia tamen in utroque casu militat eadem ratio, quod scilicet carerent remedio absolutionis, si non possent ab alio absolvi; ideo dicendum, quod sicut possunt ab Episcopo cum onere absolvi impediti adire Papam, ex facultate explicitè concessa in jure Episcopis; ita pariter possunt absolvi a Confessario impediti adire Episcopum, ex facultate Confessariis implicite a jure concessa. Neque hinc sequitur, quod si quis sit impeditus adire tum Papam, tum Episcopum, tum etiam Confessarium, possit a simplici Sacerdote absolvi. Nam simplex Sacerdos caret simpliciter jurisdictione; Confessarius vero habet illam, licet restrictam propter reservationem; hæc autem restrictio in casu impedimenti censetur implicite sublata propter rationem adductam; ex qua non deducitur, quod etiam conferatur simplici Sacerdoti jurisdictione requisita: Sicut enim lex non obligat pro eo casu, pro quo Legislator non censetur velle obligare; ita lex restringens Confessario jurisdictionem reservando peccata, & censuras, non censetur obligare in casu adducto impedimenti. At non per hoc simplici Sacerdoti conferatur jurisdictione.

VI. Notandum hic primo ex Sanch. lib. 4. Sum. cap. 39., quod Religiosus exemptus possit tantum de licentia sui Superioris absolvi ab Episcopo a censuris Papæ reservatis in casu impedimenti; sicut etiam dispensari in votis. Ratio est, quia licentia sui Superioris non obtenta, non est subditus Episcopo, cum sit exemptus, & sic nulla est absolutio, & dispensatio; Sponte autem fieri subditum in his casibus de licentia Superioris non repugnat.

VII. Notandum secundo ex Leand. de excommunicat. disp. 17. quæst. 72., Prælatos regulares posse absolvere subditos ab occultis papalibus, non so-

lum ratione suorum Privilegiorum, sed etiam vigore Trident., quia nomine Episcoporum in eo decreto veniunt etiam Prælati regulares, qui quasi Episcopalem jurisdictionem habent, & solum differunt ab Episcopis in consecratione, cum habeant suam quasi Diocesim, domos, & provincias, & possint approbare ad confessiones suorum subditorum audiendas, quod est proprium Episcoporum, juxta Trident. sess. 24. cap. 15. Possent etiam Prælatos regulares absolvere suos subditos ab excommunicatione contracta ob percussorem Clerici, etiam enormem, virtute Privilegiorum, notavit Molin. disp. 60., Pal., Sanch. apud Pelliz. tract. 8. cap. 6. num. 191.

Notandum tertio, quod juxta Navar., & Con. disp. 14. dub. 19. impeditus adire Papam non possit ab Episcopo absolvi, si possit adire Legatum, aut alium habentem privilegium absolvendi; quia in tali casu cessat finis concessionis factæ, ut possit ab Episcopo absolvi. Sed verius cum Bonac. punct. 2., Henr., & Avil. dicendum, quod posset etiam ab Episcopo absolvi; tum quia privilegia, & gratiæ sunt late interpretanda; tum etiam quia nemo tenetur uti privilegiis. Et hinc est, quod quamvis irretitus censura posset per Procuratorem, aut Epistolam adire Pontificem pro absolutione obtinenda, non teneatur; ut diximus art. 3. cum eodem Henr. lib. 12. cap. 3.

VIII. Notandum ultimo, quod habentes impedimentum temporale ad eundem Pontificem absolvi debeant a censuris Papæ reservatis cum onere comparendi apud illum, cessante impedimento, sub pœna reincidentia in eandem censuram, ex Cap. *Mulieres*, & ex Cap. *Eos qui, de sententia excommunicationis in 6.*; Ubi quamvis tantum sermo sit de absolutione ab excommunicatione ob percussio-

nem Clerici, tamen, ut notat Suarez disp. 30. de Pœnit. sect. 3., paritate rationis, idem communiter docent Doctores, quando aliquis absolvitur a censuris reservatis etiam in Bulla Cœnæ: Contra tamen, quando quis absolvitur a censuris reservatis ratione impedimenti perpetui, absolvitur sine tali onere, quia frustra illud apponeretur; cum impedimentum perpetuum cessare non possit. Demum qui in articulo mortis absolvitur a Confessario inferiore, tunc solum absolvitur a reservatis cum onere, quando est publice denunciatus, aut est publicus Clerici percussor; quia debet publice satisfacere mandatis Ecclesie, ut possint tolli Cedulones, possitque licite cum aliis communicare. Quod si non sit publice denunciatus, nec publicus Clerici percussor, potest sine onere absolvi, ut multi Doctores docent cum Dian. part. 10. tract. 14. resol. 63. Et ratio est, quia Trident. dixit, nullam esse in articulo mortis reservationem; unde quoad hoc correxit jus antiquum, dum non meminit talis oneris.

IX. Petes hic; Quinam dicantur habere impedimentum perpetuum ad eundem Papam, & quinam temporale?

Respondeo, habere perpetuum impedimentum perpetuo debiles, feminas, impubes, regulares, filiosfamilias, senes sexagenarios, mancipia, pauperes, in carceribus, vel criminibus detinendos per decennium, aut quinquennium, ex Tambar. in Decalog., quia tempus adeo diuturnum censetur perpetuum. Et idem dicas de iis, qui sine gravi damno spirituali, aut temporali proprio, aut alieno adire Romam aut nunquam poterunt, aut per decennium, &c. Habent vero impedimentum temporale, qui infra tale tempus

his impedimentis laborant: In quo casu ex *Leg. Quamvis de Sententia excommunicationis* possunt directe absolvi, cum onere tamen adeundi Pontificem cessante impedimento, non quidem ut iterum a reservatis Sacramentaliter absolvantur, sed ut stent ejus mandatis: Absolvi vero possunt indirecte a reservatis tam ii qui urgentur necessitate communionis, quam ii, qui nisi hic, & nunc absolvantur, per accidens carere diu deberent gratia sacramentali: Censetur enim hoc esse grave incommodum, ut docent Suar., Granad., Dian. in Sum. V. *Celebrare*

Missam, num. 40. Dilationem autem unius noctis dumtaxat non esse sufficientem, ut possit quis cum onere ob impedimentum temporale absolvi, docent communiter contra Mendoz. apud Tambur. in *Methodo confes. cap. 1. §. 6.*, quamvis fieri possit, ut ea nocte censuratus moriatur; Quare arbitrio prudentis viri decernendum, quinam dicatur diu carere debere gratia Sacramentali, nisi hic, & nunc absolvatur cum onere, attentis circumstantiis, & periculo censurati, juxta fusius explicata in de Sacramento Pœnitentiæ qu. 9. art. 2.

Q U Æ S T I O III.

De Excommunicatione.

Ordinata methodo ab universalioribus ad minus universalia descendimus. Quare explicatis censuris in genere, ad singulas in particulari discutendas progredimur; Et primo agimus de Excommunicatione, quæ inter censuras principem obtinet locum: Est enim omnium Ecclesiasticarum pœnarum gravissima, quæ merito nuncupari solet Mucro Episcopi, Virga ferrea, Nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, Anathema, &c., quibus nominibus quanti ab Ecclesia fiat, & quantum timenda sit, plane innotescit; Proinde Cœlest. III. in cap. *Cum non absolutionem, de judiciis* dicit, Ecclesiam post anathema latum non habere ultra quod faciat: Et ex cap. *Nemo Episcoporum* II. quæst. 3. habetur, quod non debeat quisquam excommunicari, nisi quia aliter corrigi non potuit. Nos primo loco examinabimus, Quid, & Quotuplex sit excommunicatio? Secundo, Quinam excommunicati sint vitandi? Tertio, sub qua culpa, & pœna? Quarto agemus de Excommunicatione minori, ejusque causa, & effectibus. Quinto, de causa præsertim temporali, ob quam ferri potest excommunicatio major. In sequenti autem quæstione fuse agemus de effectibus excommunicationis majoris: Ac deinde de nonnullis excommunicationibus magis obviis in particulari.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Excommunicatio?

I. Excommunicatio quid sonet; & quomodo definiatur?

II. Ecclesia per excommunicationem non

privat hominem communionem fidelium mere interna, qua fideles per fidem, & charitatem inter se copulantur, sed externa, seu politica, ac mixta, puta usu activo, & passivo Sacramentorum, orationibus publicis, & similibus.

III. Dividitur excommunicatio in ma-